B. N. C.
FIRENZE
1055
31

1055 · 31

XXXVIII
LIIC
1055-31
6

XVIII
VANGEL

1055.31

A R A
IN TEMPLO PANEGYRICO
DIVI NICOLAI
B A R I E N S I S.
O R A T I O

Habita in principe Piſarum Æde

A IO: BAPTISTA VANGELISTIO CIVE PISANO, & Seminarij Alumno,

Et Illuſtriſsimo Domino Comiti

P H I L I P P O I L I C I O

A FRANCISCO CECTIO VOLATERRANO DICATA.

L I B V R N I. M.DC.LXII.

Ex Io: Vincentij Bonfigli. de Super. Licentia.

ARA
IN TEMPLO PANEGYRICO
DIVI NICOLAI
BARIENSIS.
ORATIO
Habita in principe Pisarum Æde
A Io. BAPTISTA [illegible] CIVE PISANO,
& [illegible],
[illegible] Domino Comiti
PHILIPPO ILICIO
A FRANCISCO CECCIO VOLATERRANO D.CATA.

LIBVRNI. M.DC.LXII.
Ex Io. Vincentij Bonfigli. de Super. Licentia.

ILLVSTRISSIMO IVVENI COMITI PHILIPPO ILICIO

FRANCISCVS CECTIVS S. D.

IOVI aduerſum Titanas bellum adornanti, & ad aram operanti, aduolantem Aquilam proſpero ſanè alite auſpicium victoriæ præſtitiſſe, vetera produnt litterarum monumenta. Mihi pariter panegyrica in Ara hoſtiam laudis ſtudiorum Præſidi Nicolao ſacrificanti occurris Tú, candidiſſima

auſpicia faciens, Illuſtriſſime Iuuenis, Aquila genere, & ingenio, qui ſuper altiora cacumina ſcientiarum ingenij pennis volare conſueuiſti, qui morum, eruditionis, & doctrinæ alis ſubleuatus, altiús eueheris, quám vt Te mea poſſit aſſequi commendatio. Neque hoc mihi fuit propoſitum, fruſtra enim ſcarabeus Aquilam quęrit. Publico tantum aliquo, cupiui, monumento extare obſeruantiam in Te meam; ſtudium, & amorem, quę nomini Tuo in Nicolai Ara ſacrata libens, volensque accipe. Hoc niſi dedignaberis, Tuis me fouentis Aquilę alis inhærens regulus in Cœlum ibo.

Ex Seminario Piſano, Calendis Decembribus. 1662.

ORATIO·

Nobiliores inter ornatus, ſpectataq; magis membra templorum, Aram primas obtinere, nemo architectonices vel modicè conſulius reuocabit in dubium. Quisquis Aram Sacrę ædis in mole prætermittit, perindè facere videtur, atque ille, qui anulo gemmam, hortulo roſam, atq; ipſum Cœlo Solem temerè intercipit. Quare in eo, quod iam Nicolao inſtitui, Templo, Aram aggrediar, neque nouam, neque inſuetam, cum tot, tantęq; vbiq; terrarum auguſta pietate, liberalitateque illi extructę conſpiciantur. Verùm enim verò inter aram, & ſaxum certè hęreo animi dubius, ex qua illam potiſsimum materia concinnem. Primò quidem aureæ laminæ luculento illicio oculos ad ſe trahunt, & manus, & primas ſibi in opere depoſcunt. Sed quoniam pallenti luminis illuſtratione auaritię ſordes adumbrant, nec ſunt ad egenorum ſuppetias conſignatæ, Nicolao minus arrident, qui opimum patrimonium in miſerorum inopia ſubleuanda liberaliſſimè protudit. Argento licet conflatas aras cum exercitù Darius circumtulerit eę parum probantur, erraticæ quippe, nec ſatis ad debacchantium impulſum ſęculorum deludendum potentes, pręſertim cùm Coloſſus ille ſacri Vatis argenteo ſe pectore firmitudinis parum habuiſſe, præcipiti contritus lapillo oſtenderit. Multò minus altare ęneum: nam, quod fecerat Regum ſapientiſsimus, holocauſta ſuſtinere minus poterat. Adamas, ni me ratio conſilij mei fallit, Nicolai fortitudini ſignandę maximè appoſitus, Aræ materiam poſſe ſufficere videtur.

Græcorum, Romanorumq; belli duces, eo ſe nomine fortes putabant, quòd humanorum cadauerum cumulos exaggerabant, quòd ſæuientis Libitinę falcis ęmuli, hominum meſſem in veſani furoris ęſtu demeterent. Tamen, niſi ijdem, qui ingentes fuderunt exercitus bellatorum, ab auro, gazisque manus, & à voluptate animos, oculosque cohibere poſſint, non erunt idonei, qui fortitudinis titulis, conſtantięq; laudibus cumulentur. Operoſius enim eſt, ſe ipſum, & voluptatem, quàm hoſtem ſuperare. Aurum, fortunasq; domeſticas non infulatus modò liberaliſſimè alienę impertijt indigentiæ: ſed, adoleſcens cum eſſet, pro nihilo duxit Nicolaus: Animum à vellicante cordis penetralia voluptate cohibere, primi Infantis Patarei luſùs fuerunt. Tamquam in lacte fellea mortalitatis pocula delibaſſet,

ſet, binis per hebdommadas ſingulas diebus papillis lacte turgentibus abſtinebat. Quid autem Herculem iactatis ſuis cunis maiorem, angues audaci dextera collidentem, canora Græcorum commenta? Hic Hercule non minor lacteolis brachijs venenatę nouit Voluptatis guttur comprimere, Famisque titillantis ingluuiem præfocare. Et æquum ſanè erat, Cœleſtis Infantis robur, vel in molli corpuſculo adamantinum, melleum fel à Volupia in lacte propinatum præſentire; id enim eſt inditum adamanti, vt pocula venero imbuta, lethaleſque latices deprehendat. Quoniam verò Nicolai præſtantia infantiæ crepundia ignorauit, & Giganteis gradibus ad virtutem graſſata, ſemper adulta fuit, excreſcat cum adulti Viri pręclarè geſtis oratio mea. Edictum à Licinio Imperatore fuerat promulgatum, quo carcer, flagra, & cędes intentarentur ijs, qui Chriſtiana ſacra ſuſciperent. Intremuerunt Myrenſes poſt hoc denuntiationis fulmen attoniti, & ad Antiſtitem Nicolaum, tamquam ad ſalutis aram confugerunt. Vt Sol ſpiſſiſſimas nebulas Cœlum ſupprimentes diſſoluit, ſic ille aptiſſimis cuique, ac fidentiæ pleniſſimis verbis, timoris noctem abſtergebat, vt quilibet ſibi mille flagra, & cruces mille, mortem denique libentiſſimo animo deuoraret; dum lepore timidioribus leoninum cor inſinuaret Nicolaus, & pectus muniret adamante, qui geſtantes reddit audentes, plenoſque animi facit. Et quia palam erat, Chriſtianæ illum rei partes firmare, Pretor contemptù in rabiem efferatus rapi eum iubet à Triumuiris in cuſtodiam, mox in exilium deportari, vbi vinculis durioribus, ac tenebricoſo carcere addicitur, vt pręſqualore, atque inedia lenta morte contabeſcat. Quas verò dapes animo decoquitis A. A. quibus Nicolaus reficeretur? Exquiſitiſſima fercula, & ſcitamenta mirifica, famem, atque inediam deguſtauit. Exquiſitiſſima autem fercula, & ſcitamenta mirifica famem dicam? Ità ſanè. Fames, quę letho addicto, & mortem inedia proſequenti fruſta atrioris panis apponebat, quæ animam reuocarent fugitiuam, deliciarum nomen poſſit induere prę lamena immaniſſima, qua corpus illud Virgineum modis omnibus trium annorum curriculo fuit excruciatum. Quotidie enim per lictores non perſunctoriè vapulans, innumerabiles plagas exantlabat. Neque ante cædentium ira ceſſabat, quàm illam irriguus cruor extingueret, qui ex intaminati corporis vulnere quotidie deplueret; cumq; fuſtuarium sępiſſimè ferret, fiebat, vt ſacra illa cedrus decorticaretur frequentiùs, & nunquam non illibata illa membra exulcerata lucèſcerent. Hìc ego non poſſum, quin exclamem, inuictam Nicolai conſtantiam non adamantinam, ſed adamante ipſo fuiſſe duriorem. Frangitur namque ille calido cruore conſperſus, ſed huius robur, ac firmitudo, vel ſanguine perpluens, inconcuſſa, & infracta reſiſtit. Pueros, aiunt, apud Lacones in ara Dianę diutiſſimè vapulare, &, qui tacitè, & æquè verbera ferat, eum porrò pręſtantiſſimi ingenij haberi, neque à patria degenerem nobilitate. Quid? pueros ego Tecum conferam Nicolae? Abeant cum puerilibus ferulis ad nugarum gymnaſia infantes Laconum maſtigiæ, Teque cruciatibus omnibus maiorem venerentur in Ara fortitudinis, quam Tuo inſculptam ex adamante immortalitati ſæculorum conſignent. Vos verò, beatiſſimæ Cœli Mentes, ex ſupernorum Elyſiorum viridarijs ne-

xas veſtra manu coronas inuictiſſimo Athletę importate. Immò abſiſtite, quia illibata membrorum lilia, rubeſcentis cruoris oſtro veluti roſis intexta, totum corpus decenter coronant, dùm ſanguineis notis inſcriptam candidiore artuum marmore victoriam referens, triumphans Nicolaus prodit ex carcere glorioſior. Sic pullo nubium aulęo diducto, Sol nitet amœnior, ſic lapis malleorum, ſcalprorumque ictibus formoſior, templis, ariſque honeſtamentum addere ſolet, ac venuſtatem. Neque ſolum minas, & flagra ſatellitum infregit, verùm ipſis etiam Primarijs Viris conſtantis oris reuerentia, inconcuſſique pectoris robore, terribilis vel per quietem accidit. Veluti, cum connubias inter noctis tenebras Magni ob oculos Conſtantini verſatus eſt, minisq; territum coegit tres illos militum Tribunos maligno ſuffragio morti applicitos in vitam, & libertatem reuocare; vt alios miſſos faciam Myrenſes, quos per ſummam iniuriam letho addictos ex ipſo Orci limine retraxit, lictoribus reſiſtere non audentibus. Quin lapide illo potentior, quem per ſpeciem ſacer Vates vidit rupe abſciſſum, non Regis Aſſyriorum fictilem Coloſſum excuſſum comminuit; ſed adorata Deorum ſimulacra diiecit. Eiaculato Dauidis ſaxo vehementior, quod rotata funda, quaſi baliſta emiſſum turrem carneam, Goliathum afflixit; non Philiſthæum aciem Dei viuentis exprobrantem, ſed Arium animis, ſi non corpore Gigantem, non lapide, ſed colapho ſonantiore profligauit. Sed hęc ipſa palmaris audacia, quę omnium plauſum ſęculorum elicere debuiſſet, malorum ipſi Iliadem conflauit. Cùm enim in Auguſtiſſimam Triadem maledicta ingerentis ora excuſſa dextera pulſaſſet, ſacro amiculo, inſulíſque nudatus, traditus eſt iterum in carcerem, ferreis manicis, pedicíſque illigatus, vt ineluctabilis fortitudo teterrimas inter tenebras splendidiùs emicaret. Illùc Cœlorum Imperator cum Diuina Parente delabitur, omnia lumine inſolito ad æternorum ignium afflatum circumfundens, dulcibusque dictis lenito, cape, inquit, Tibi à me ſacrorum monumentorum volumen, & ab Auguſta Parente Pallium deſume picturatum. Hæc Tuę conſtantiæ debentur, hęc Tuæ ſunt pręmia fortitudinis. Scias, Te gloriæ meæ Propugnatorem mihi ſemper cordi fore. Et ab extrema parte ſermonis Diuina ora ſubduxit. Forte fuit, vt neſcio quis aliquot dierum abſtinentia ſiccum Virum refecturus vtcumq; cum pane deſcenderet in cuſtodiam. Præ foribus per rimam improbè diductam oculis ſpeculatur, quid ageret Nicolaus; notatque ſibi, ablata illum per ignominiam decora, prioreſque cultus recepiſſe. Dicitur res in vulgum, ſtatimque aduolant eò, ſoluto concilio, patres, ac rei nouitate attoniti, lacrymis, ac vultus confuſione veniam deprecantur. Eductus igitur ex vinculis rem Diuinam aggreditur. Et quoniam amplioris ſacerdotij inſignibus ei fuerat interdictum, nulla redimitus tiara, neque ſacratiori pallio indutus ad aram proceſſerat. Cum ecce tibi ſub omnium oculis ſupernè nubes nitidioribus radijs intermicuit, in qua Cœleſtes Genij, neq; forma, neque annis diſpar pubes, pretioſis velati ſagulis volitabant, Auguſtæ ſiderum Reginę latus ſtipantes. Horum alius apicem auro, gemmiſq; diſtinctum, alius ſplendide phrygiatum velarium ad humeros, tripudiantes omnes ad ſymphoniam offerunt Nicolao. Ergò aliquantiſper ob oculos

los eorum, quotquot ſacro intererant, verſati, iucundiſſimum ſpectaculum nebulę ſipario inuoluunt. Hic venit in mentem iuuenis ille, qui ex longo curſu fatigatus, corpore, non animo infractus, latus ad quietem ſub dio compoſuit; dura humo, glebiſque virentibus pro Sardanapali culcitra, lapidibus vſus pro puluillo. Clauſerat ille altiſſimo ſomno bina ſidera, ſed millena in eius excubias vigilantes ſtellarum ordines aperiebant. Immò Cœlum ipſum, cœrulearum cortina nubium diducta, ſtellantem luminum Regiam vel in ſomno vigili ipſi oſtendebat. Inde Alites pueri per ſcalam rurſum, prorſum deſcendere, & aſcendere conſpiciebantur. Sed nihil Iacobi felicitati inuideat Nicolaus, qui non per ſpeciem, ſomniumque Cœlorum Ciues procul, ſed cominus ſibi obuios contemplatur, ac fruitur, qui beatos Ephebos, Diuámque terrarum Regnatricem habet ſamulantes. Ille erexit lapidem in titulum, fundens oleum deſuper, hic in inuictę conſtantię robur obdureſcens, contumelijs proſciſſus, flagriſq; veluti Diuini Polycleti ſcalpro expolitus, in adamantino fortitudinis lapide, liquidiſſimarum voluptatum oleo delibuto, molli velut in pluma conquieſcit. Liceret enimuerò multijugis virtutum floribus Aram de more variè excolere, recentibus ſcilicet, ac ſuauiter olentibus roſis flagrantiſſimæ charitatis. Diſponere florido ordine poſſem intaminata Virginei candoris lilia, florentes edomitæ Veneris myrtos, lauroſq; Apollineas; illas ob ſeruatam trium puellarum virginitatem, has ob expulſum è litteratorum muſæis à ſe occupatis veterem muſarum Præſidem Apollinem. In expedito eſſent pallenti folio ridentes violæ, lęta lacrymantis auroræ aſpergine roruIentę, ipſum videlicet ſignantes Diuino amore languidum, lacrymarumq; dulciſſimo ſtillicidio rorantem. Sed, vbi fructus præſtò ſunt, fruſtra flores ſedula leguntur manu. Aræ inſuper illuſtrandę circumfulgens facum ordo luculentus opus eſſet, niſi ſuarum ille virtutum luminibus, quàm cereorum ſplendore eam nitidiùs incenderet, & niſi inuictæ conſtantiæ firmitudo, quæ ex ſolo ſculpenda eſt adamante, ex molli cera exprimeretur haud appoſitè, neq; fumidæ eſſent ei potius, quam luculentę liquentium faces cereorum, quem ſiderei ſempiternorum luminum ignes irradiant. Hoc vnum à Te ſummopere petam, Nicolae, vt, ſi rudem, nec ſatis erudito ſcalpro expolitam Aram Tuo in Templo dicaui; in ea certè oblatam cordium noſtrorum victimam libens accipias, quæ igne Diuinæ charitatis combuſta, fiat holocauſtum, quod immortali Numini afflet ſuauitatem odoris.

ac199 957934

Mei